

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

LXXXIII.

Salutem in Christo. Reverende D. Doctor,

amice carissime.

GRatum nobis officium fecisti, quod exemplar libelli tui de Cœna Domini nobis communicasti. Ego inter occupationes bonam ejus partem ferme usque ad finem perlegi, idque non sine magna delectatione, propterea quod ubique apprehendi eandem vocem doctrinæ, quæ in nostra etiam Ecclesia Dei beneficio sonat. Et non dubito fore, ut multi vestra hac confessione & erudiantur & confirmantur, propter vestram celebritatem & autoritatem Ecclesiæ vestræ. Illud, quod omninò necessarium fuit, valde probo, quod Heidelbergenses Sacramentarios nominatim taxas & refutas. Nam ego rei dignitate permotus aliquoties mihi proposueram, Erasti Medici scripto responsionem aliquam opponere, sed existimavi, per alios in vicinia rectius hoc fieri posse. Et illud jam à te factum esse gaudeo. Præcipuè verò eruditam & solidam illam explicationem, quam de veterum sententiis instituisti, valde & probo & laudo. Prudenter etiam disputationem de ubiquitate ita moderaris, quod hoc præcipuè urges, corpus & sanguinem Christi in omnibus illis locis adesse, in quibus Cœna Dominica juxta ipsius institutionem celebratur. Video enim, quot incommoda secum trahat, quando disputatio illa de ubiquitate nimis latè extenditur, ut incipiamus disputare de lignis, lapidibus, pomis, piris, &c. Adversarius etiam noster Bremensis hoc querebat, ut à fundamentis verborum institutionis abduceret ad labyrinthos illos disputationum de ubiquitate, sed nos secuti sumus Lutheri consilium, qui in confessione majori folio 187. Wittebergenf. monet, fundamentum in hac controversia collocandum esse non in disputatione de ubiquitate, sed in verbis institutionis. Ego valde jam occupatus sum pertinendo examini decretorum Concilii Tridentini, quod data mihi à Lusitano quodam occasione instituo. Et prior pars, ut arbitror, ad imminentes jam nundinas prodibit. In altera adhuc laboro. Erythræum vestrum magnopere vellem tractationem de Cœna Domini, cujus partem edidit, absoivere. Bene & feliciter vale, & totum Ecclesiæ vestræ ministerium reverenter meo nomine salutabis. Brunsvigæ, 5. Augusti, 1565.

T.

Martinus Chemnitius, D.

LXXXIV.

SHic præsentium lator, homo Anglus est, qui ex Italia ipsaque Roma patriam repetens, videre & alloqui cupit pios & doctos viros. Contulit mecum familiariter multa & videtur vere candidus, & proin dignus, qui

Cc 2

huma-

humanitatem bonorum experiatur. Commendo eatenus eum T. H. ut alloquio eum digneris & dirigas etiam ad alios aliquot. Si volet Dominus T. H. ipse brevi visam. Scripsi Basil. 15. Augusti an. 65.

T. H. totus


Sulcerus.

LXXXV.

S Clarissime Domine Doctor, & mihi in Domino honorande frater. Si quod gratum officium mihi præstitit T. D. rogo, ut propter me hunc puerum iuvet, si possit, in Collegium Wilhelmitanum recipi. Præstitit mihi T. C. in simili petitione officium gratum, id verò longe gratissimum est futurum. Puer D. Osiandæ Cognatus est, qui idem à me petit. Et quæ est tua pietas, utriusque non denegabis, modo locus aliquis sit, sin verò nunc recipi non potest, in tam ampla urbe fortassis tamdiu hæreere posset, donec locus aliquis vacaverit. Conversationis nostræ dulcissimæ sicut semper sum memor, ita vicissim pro te etiam sum sollicitus, ne forte malum te infestet amplius, quod coram adspeximus, Dominus te longævum Ecclesiæ suæ conservet & dona sua augeat, nobis omnibus, ut unanimi & pio consensu insultus Sathanæ sustinere & repellere possimus. Universum Collegium tuum quæso meo nomine reverenter salutes. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingæ pridie Calendarum Septembris. Anno 65. Concordantiarum hebraicarum quæso non velis oblivisci. Cujus rei Dominus Speccerus mihi spem fecit. Interea dum reverentus sum, etiam Jesuitis Ingolstadtienibus respondi.

R. T. addictissimus

Jacobus Andreæ,
ut semper.



LXXXVI.

S In Domino. Etsi, Clarissime D. D. hætenus nulla cum tua R. mihi fuerit confusio aut familiaritas, ideoque subimpudens videri possum, qui & ad tantum virum mihi nondum familiarem scribere, & ab eo beneficium petere audeo, in quem nullum meum meritum extat: tamen, quæ est tua pietas & à multis mihi prædicata humanitas, spero me hisce literis tuæ R. non fore molestum. Est mihi cognatus in oppido Guntzenhausen, Christophorus Kistner, filius amicæ meæ. Is adolescentem filium suum studio-

rum